

1521 Sept. 24. Adrian Wirt III 230 Nr. 82  
279.

II 48.

### Kaspar Ursinus<sup>1)</sup> an Vadian.

*Basel. 1521. October 1.*

Gründe, warum er Vadian nicht besuchen konnte. Mitteilungen von Wiener Freunden. Absicht, seine Gedichte gesammelt herauszugeben und Bitte an Vadian, ihm diejenigen zuzuschicken, welche er in Händen habe.

S. D. Equidem nihil cupiebam magis, quam te invisere; verum huc maturato opus fuit, ut ad diem hic essem, ne prævaricarer<sup>a)</sup> institutum fratrum canonicorum et legem adeo, qua sanctum est, ne trigesimum ultra diem absim a gymnasio. Non est igitur, cur mihi succenseas aut obiicias Musas et cœnas philosophas ac præterea alias voluptates longe honestissimas. Sat scio, beatum esse te atque his bonis Ursinum multis etiam parasangis superare. Porro de amicis quod scribis et sodalitate Collimitiana, quibus ægerrime careo, eandem tu mihi illorum memoria in literis tuis cicatricem refricas; cottidie vero cum alios, tum Collimitium et Abhauser sollicite cogito atque ubi sint gentium, ut vale-

ant, quo denique quisque subito metu consternatus profugerit, avide expecto audire. Nuper Gundelius Cracovia scripsit, quem ego illi misi veluti umbram, ut eius verbis utar, a Iodoco Decio sero nimis magnis etiam pollicitationibus evocatus; uterque vero te per literas salutare iussit. Lucas Francofordia Nurinbergam rediit; scripsit mihi epistola proxima Viennæ ad dies singulos interire homines plus minus centum. De epigrammate Græco velim consideres<sup>b)</sup> melius; ipsum, ni fallor, geometras<sup>c)</sup> traducit; illius a me barbare redditi oblitus sum. Græcum nondum inspexi; utcunque tibi mos geretur, et meum quaecunque adiiciam<sup>d)</sup> tuas et Collimitii laudes complexurum. Publicare in animo habeo omne genus poëmatum meorum: epithalamia, panegiricos, epicedia, pæanas, genethliaca, epistolas, elegias, epigrammata et e Græcis Latina facta. Proinde te oro, si quid apud te est reliquum meorum carminum, ad me postliminii iure reverti sinas; multa<sup>e)</sup> ad hunc modum dilapsa sunt, et pleraque interiire. Habes enim exploratum, quam indiligens horum fuerim observator. Dedi hoc negotii Grebellio, adolescenti modis omnibus egregio atque in omnes mire officioso<sup>d)</sup>, qui de aliis quoque, quæ scribere supersedeo, tecum communicabit. Uxorem tuam, honestissimam feminam et, quantum ex fratris indole coniectare licet, adolescentem suavem vel ignoti nomine salutem dices. (!) Tu vale et non pigriteris rescribere. Basilęæ, Kalendis<sup>e)</sup> Octobris, anno etc. XXI

Vester *Caspar Ursinus*.

Clarissimo et eximio domino Ioachimō Vadiano, doctori, medico, philosopho et poëtæ laureato etc., amico honorando.

a) Durchwegs „e“ für „æ“. — b) „consyderes“. — c) „gæometras“. — d) „t“ für „c“. — e) „multa“. — f) „Calendis“.

l) Vrgl. I, Brief 79.